

45 quid lacrumas? *AE.* pater, obsecro, ausculta. *MI.*

Aeschine, audivi omnia

et scio; nam tē amo, quo mage quaē agi' curae sunt mihi. 680

*AE.* ita velim me promerentem ames dum vivas, mi pater,  
ut me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehementer  
dolet

et me tuī pudet. *MI.* credo hercle, nam ingenium novi tuom  
50 liberale; sed vereor ne indiligens nimium sies.

in qua civitate tandem te arbitrare vivere? 685

virginem vitiasti quam te non ius fuerat tangere.

iām īd peccatum primum sane magnum, at humanum tamen:  
fecere alii saepe item boni. at postquam id ēvenit, cedo  
55 numquid circumspexti? aut numquid tute prospexti tibi  
quid fieret, qua fieret? si te mi ipsum puduit proloqui, 690  
qua resciscerem? haec dum dubitas, menses abierunt decem.  
prodidisti te et īllam miseram et gnatum, quod quidem ī te  
fuit.

quid? credebas dormienti haec tibi confecturos deos?

60 et īllam sine tua opera in cubiculum iri deductum domum?

nolim ceterarum rerum te socordem ēodem modo. 695

bono animo es, duces uxorem. *AE.* hem. *MI.* bono

animo es inquam. *AE.* pater,

obsecro, nunc ludi' tu mē? *MI.* ego te? quām ūb rem?

*AE.* nescio:

quia tam misere hoc esse cupio verum, eo vereor magis.

65 *MI.* abī domum ac dēōs conprecare ut uxorem accersas: abi.